

attingere oporteres, accurate observarent, atque ad veram, & aptam formam reducerent: nihil tamen de oppositis propositionibus mandans, quas in Catholicas veritates statueret, necesse esset. Quod illi executioni mandarunt, celebratis congressibus a die 19. Octobris ad 19. Novembris; eaque de causa digestis ab Archiepiscopo Armachano tenenda doctrina capitibus subscribere detreclarunt, quod præter Pontificis voluntatem, ultimo mandato denunciata, digesta essent. Nulla est igitur, quam expobres aut in Censoribus Pontificiorum mandatorum violatio, aut in Historico didorum repugnantia, atque discordia: sed est potius, quam in ipso emendes, continua iudicario, qua distincta mandata promiscue confundis, ut religiosissimos, ac doctissimos Viros, fraudis in Pontificis voluntatem admittis reos agas.

Jam vero, ubi semel, quæ de digesto ab ipsis damnandarum propositionum elencho, deque delineato Pontificio diplomate in Historia memoravi, vera esse perhibentur, uti profecto ex Notarii Commentariis liquet; habet sane, in quibus triumphet Schola Thomistica, etsi, inausito rerum concursu, solemnem meditati iudicii publicatio in aliud tempus protrahat fit. Nec est, quod Thomistas miseris triumphatores appelles, qui sibi trophæa struant, ut in fomitiis pueri; falsa nimirum opinione imbuti, id unum delineato Diplomate superstitio, ut secundum juris formulas innovaret; nihilque sancto iudicio defuisse præter unam promulgationis solemnitatem. Ecqui enim aliud supererant, cum jam a Summo Pontifice, Eminentissimisque Principibus statutum, decretumque iudicium esset die 8. Martii 1606. ac de sola deinceps publicandi contra Molinam Diplomatis forma, deque disponendo confixarum propositionum elencho tractatum sit? Res patet ipsa per sese, si cuncta recte pensentur, primaque ultimis conferantur. In primis enim de Controversia ultimo iudicio definienda, jam tum a die 8. Martii in solemnem Cardinalium consensu deliberatum esse, collectaque ex tunc Eminentissimorum Patrum suffragia, non modo liquet ex Actis Cornelli, atque Lemosi, verum etiam ex ipso Cardinali Perronio, qui totus ad Sociorum partes inclinabat. *Decretum fuit, inquit Coronellus, ut presens Controversia ad optatum finem perducatur. Lemosius vero col. 1359. Finitis Congregationibus 8. Martii anni 1606. convocatis Illusterrimis, & Reverendissimis S. Inquisitionis Cardinalibus, qui fuerunt undecim, qui ex officio Inquisitores erant, & Cardinalis alius, du Perron vocatus, qui ad hanc Auxiliorum Congregationem admissus fuit tum a Clemente VIII. tum a Paulo V. Cum his igitur omnibus habita natura deliberatione, decretum fuit, ut hac magna Controversia Apostolica definitione terminaretur: decem ex prædictis Cardinalibus illi unanimiter concludentibus, & duobus tantum ex his, Bellarmino videlicet & illo du Perron remittentibus &c. Et Cardinalis Perronius Epistola, Henrico IV. Galliarum Regi inscripta, die 8. Martii 1606. Aujourd'hui le Pape a voulu recueillir les vœux des Cardinaux, qui assisterent à la Congregation de Auxiliis, sur quelques points, qui s'y devoient traiter; pour à quoi me préparer, il m'a fallu employer les deux Jours précédens, auxquels je devois rendre compte à Votre Majesté de ce, qu'elle a eu agréable de me mander par sa dernière Lettre. Hoc est: Voluit hodie Pontifex colligere suffragia Cardinalium, qui Congregationi de Auxiliis interfuerunt, circa nonnulla doctrine capita, ibidem antea disputata. Qua in re, ut preparationem adhiberem, duos superiores dies impendi, quibus Majestati Vestre rationem reddere debuissent eorum, quæ mihi*

postrema Epistola commendaverat. En tibi jam tunc statutum, decretumque iudicium. Id autem in Molinianos errores decretum fuisse, data subinde mandata perspicuum faciunt. Quorum enim, soluto statim congressu illo, de Pontificio Diplomate delineando, deque colligendis Molinæ propositionibus, Pontificia confixione dignis, semel, iterumque, ac tertio mandatum esset, die scilicet 9. Martii, 5. Octobris, 23. Novembris, nisi de damnandis Molinianis erroribus fuisset ante deliberatum, ac constitutum? Imprudens quippe fuerit iudex ille, ne dixerim, amens, qui, nondum sancto iudicio, delineando damnationis edictum Scribis, & Tabellionibus mandaret. Nihil itaque, velis, nolis, aliud tunc temporis supererat, quam ut Decretum, sanctumque iudicium, ex juris formulis innovaret. Ac licet Paulus delineatam tandem Diplomatis exemplar, instructumque confixarum propositionum elencho, Eminentissimis Patribus, iudicio de utroque latius, tradi iussit; nam tamen superfuisse tunc, liquet, delineata damnationis formam, de qua ab his iudicium quaeretur; cum de ipsa damnatione ferenda, diu ante deliberasset.

Quapropter operam ludis, dum Molinianæ Causæ momenta, superioribus Historiæ tuæ libris exaggerata, denuo recantas, ut secundum Molinianos potius contra Thomistas, quam secundum Thomistas contra Molinianos, decretum ultimo congressu statutumque iudicium lectoribus persuadeas. Ut enim in præsentia dissimulem, quæ hæcenus suis locis, ad ea referenda momenta, cumulatissime dicta sunt; certe hariolari te, vel id unum evincit, quod, soluto statim congressu illo, quo Eminentissimorum Patrum suffragia collecta sunt, non de Thomistarum, sed de Molinianorum propositionibus, Pontificia Censura dignis, in iudicem congerendis, mandatum sit Theologis Consultoribus. Quæ res decretum in Molinianos iudicium palam ostendit.

Cætera, quæ ad minuendam delineati Diplomatis fidem tanto a te studio congeruntur, in atrecessum, ac suis distincte locis explosa sunt. Nempe, quæ de relicto, post solutam Auxiliorum Congregationem, in privati datavæ hominis manibus, delineatæ Constitutionis exemplo, tanta fidentia fabularis: quæ de Thomistis; tot subinde annos silentibus; nec profusa in Molinianos Pontificum Diploma, in domesticæ causæ præsidium, ante factantibus, quam ex vivis excellissent, quotquot sacris illis congressibus interfuissent, commiseris: quæ de Jansenianis, meditata Bullæ, cæterorumque Congregationis huius Actorum primis, ut vocas, buccinatoribus venditas: hæc, inquam, toto passim sexto Præfationis nostræ paragrapho, nec non Tom. 1. Gallicæ Defensionis, quæst. 2. cap. 1. convulsa sunt. Quæ ex decantato toties Innocentii X. Decreto die 23. Aprilis, anni 1654. publicato, denuo ingeris; hæc laudatæ Præfationis paragrapho 12., ac memoratæ Defensionis, quæst. 2. cap. 2. nec non hoc ipso lib. 5. sed. 1. cap. 5. cumulatissime reselluntur. Quæ ex Brevis epistolari Innocentii XII., Theologis Lovanienibus inscripto, misere detorques; hæc lib. 4. Historiæ nostræ, cap. 5. in rectam sententiam explicantur. Quæ demum ex Bellarmini Scripto, Pontifici oblato, mutuaris, ut physicam prædeterminationem in peculiari Tridentinorum Theologorum consensu explosam evincas, falsi, putidæque calumniæ revincuntur lib. 4. cap. 1. Immo veritas ab ipso Cardinali Pallavicino diu ante revicta sunt lib. 8. Historiæ Concilii Tridentini, cap. 4. num. 2. ubi non physicam Scholæ Thomisticæ præ-

prædeterminationem, uti porrecto libello effutiit Bellarminus, sed insanum Lutheri commentum de libero arbitrio, mere passive se habente, ac nullo pacto active ad justificationem, a Theologis nonnullis temere productum observat, & ab aliis, tanquam minus Catholicum, fummo consensu rejectum. *Fra Lorenzo Mazzocchi, Servita, insieme con fra Gregorio da Siena, Domenicano, con fra Gregorio Perfetto da Padova, Agostiniano, e con un altro della stessa Religione, sentirono intorno al secondo capo, che il libero arbitrio passivamente, e non attivamente concorra all' opera della giustificazione: La qual sentenza non fu stimata cattolica.*

CAPUT IV.

Retusæ dudum Leodiensis Scribæ de Romanis Censuris expositionibus, ab Eleutherio perperam instauratæ: novæ in Historicum de suscitato Bajanisno structæ calumniæ.

DE tribus maxime Romanis Censuris infimulabat Leodiensis scribillator, quæ nos lib. 4. cap. 19. & 20. proluxa disputatione diluimus. Primum, quod nonnullas Molinæ propositiones in delineato Diplomate censura notassent, quarum auctor esset Doctor Angelicus: Secundo, quod aliquas in Michaele Bajo proscriptas assertiones, dato suffragio, comprobassent: Tertio, quod Molinam in his damnassent, de quibus disputatum ex Pontificis præscripto non fuerat. Hæc tu, diluta licet, atque depulsa, animosius instauras. Quarto etiam, quod me unum attingit, per summam calumniam adjecto probro, me scilicet, Romanorum Censuram causam agentem, pro Bajanis erroribus ex famoso Bullæ Piane commate depugnasse.

Et primum quidem redintegratæ criminacionis caput in duabus Molinæ propositionibus ponis, delineato Diplomate inuisit, quas ex Doctore Angelico petitas, aut putas, aut fingis. Prima est, *Pecatum primi hominis solum in donis supernaturalibus nobis nocuit: cui hæc Doctoris Angelici sententiam geminam didicis in 2. sent. dist. 30. quæst. 1. art. 1. ad 3. Nec homo, nec Angelus per peccatum aliquid naturale amisit, vel in aliquo diminuitus est.* Altera Molinæ propositio est: *In statu nature lapsa potest homo, cum solo concursu generali Dei, efficere opus bonum morale, quod in ordine ad finem hominis naturalem sit vera virtutis opus, referendo illud in Deum, sicut referri potest, ac deberet in statu naturali: Cui hoc alterum congruere vis D. Thomæ pronunciatum 1. 2. quæst. 65. art. 2. Virtutes morales, prout sunt operative boni in ordine ad finem, qui non excedit facultatem naturalem hominis, possunt per opera humana acquiri: & sic acquisita sine charitate esse possunt, sicut fuerunt in multis gentibus &c. Idem habet 2. 2. q. 23. art. 7.*

Quem sensum præ se ferat prior illa D. Thomæ sententia, planum feci lib. 4. cap. 19. partim ex eisdem verbis, proximè subjectis, partim ex altero eisdem testimonio 1. 2. quæst. 85. art. 1., non fuisse scilicet hominis facultates per peccatum amissas, secundum esse physicum, ac per se spectatas: bene vero quoad naturalem inclinationem ad bonum, utque ad moris ordinem transferantur: quo sensu (in minus amissa penitus, ac vulnerata sunt, atque fauciatæ. Quo fit, ut non in solis supernaturalibus donis homini nocuerit Adæ peccatum, uti propositio iusta ferebat, sed & in naturalibus quoque, quæ vulnus infixum est. Quid tu modo, Censuram Censuræ, ut criminacionem instauras? Reponis, hominem

idecirco in naturalibus vulneratum dici a Doctore Angelico, quia ex peccato Originali concupiscentia perduellis oborta est, qua fit, ut inclinatio ad virtutem minuatur. Ac ne quis ex hoc ipso responso multo luculentius evincat, peccatum Originale naturales hominis facultates corrupisse, ac fauciasse, quippe quod naturalem subjectionem partium inferiorum ad superiores extinxit, ac violavit; id principii loco ponis: *Doctorem Angelicum somitis refrenationem, subjectionemque partis sensitivæ ad rationalem inter bona nature non computasse, quasi scilicet ex nature principii fluxeret: immo quotquot ita sentierint Bajanismi audacter infimulas. Egregium enim vero interpretem, atque censorem! Cuius itaque notæ est, quod habet Doctor Angelicus 1. 2. quæst. 82. art. 3. ad 1. Quia in homine vis concupiscentialis naturaliter regitur ratione, in tantum concupiscere est homini naturale, in quantum est secundum rationis ordinem: concupiscentia autem, quæ transcendit limites rationis, inest homini contra naturam. Item & illud, quod scribit in 2. sent. distinct. 30. quæst. 1. art. 1. ad 4. Vis concupiscentialis naturale habet hoc, ut in delectabile secundum sensum tendat; sed secundum quod est vis concupiscentialis humana, habet ulterius, ut tendat in suum objectum secundum regimen rationis. Et ideo, quod in suum objectum tendat irrefrenate, hoc non est naturale sibi, in quantum est humana, sed magis contra naturam ejus, in quantum humani iustitiam.*

Quare oscitantium lectorum credulitati illudis, dum hæc alia Doctoris Angelici verba ad pompam ostentas, ut absono interpretamento fidem concilies, in 2. sent. distinct. 31. quæst. 1. art. 2. ad 3. *Poterat Deus a principio, quando hominem condidit, etiam alium hominem ex limo terre formare, quem in conditione sua nature relinqueret, ut scilicet mortalis, & passibilis esset, & pugnam concupiscentiæ ad rationem sentiens; in quo nihil sue nature derogaretur, quia hoc ex principii nature consequitur. Nec advertit, hominem in sententia Doctoris Angelici bifariam spectari posse: primo quidem secundum conditionem duntaxat animaleam, quo titulo inordinatam concupiscentiam, uti animalis naturæ portionem, cæterorum animalium forte, presentiret: secundo, integra, ut ita dixerim, consideratione, juxta conditionem rationalis nature, quam propriam sortitur; quo titulo concupiscentia perduellis adeo non est illi naturalis, ut potius labes, ac pœna sit. Dicendum, inquit ille quæst. 4. De malo, art. 2. ad 1. quod aliquid potest esse naturale homini dupliciter: non modo in quantum est animal, & sic naturale est ei, quod concupiscentialis feratur in delectabile secundum sensum, communiter loquendo: alio modo, in quantum est homo, id est, animal rationale; & sic naturale est ei, quod concupiscentialis feratur in delectabile secundum ordinem rationis. Et 4. contra Gentes, cap. 52. cum peccatum originale ex ea, quæ nobis inest, concupiscentia pugna confirmasset; hæcque sibi ex adverso objectionem proposuisset: Possent tamen aliquis, dicere, huiusmodi defectum non esse penalem, sed ex necessitate materiæ consequi; quia necesse est, sensibilem appetitum in ea, quæ sunt secundum sensum delectabilia, moveri, quæ interdum sunt contraria rationi: ita domum objectæ difficultati occurrit: Huiusmodi defectus, quamvis naturales homini videantur, absolute considerando humanam naturam ex parte ejus, quod est in ea inferius, tamen considerando Divinam providentiam, & dignitatem superioris partis humanæ nature, factis probabili-*

biliter probari potest, hujusmodi defectus esse penales: & colligi potest, humanum genus peccato aliquo originali esse infectum.

Qua ergo audacia Romanis Censoribus Bajaniſinum affricas, quod prioris hujus assertionis Moliniana confusione significarint, *subjectionem partis sensitivæ ad rationalem inter bona naturalia computari?* Erunt itaque pari forte Bajaniſinum annumerandi, non modo Guillelmus Estius, Lemosius, Cabrera, Macedo, Contentonius, quos ita sensitisse, liquet; sed & ipse Doctor Angelicus, qui, hoc ipso constituto principio, originalis peccati existentiam probat, unde partis sensitivæ rebellio in nobis oborta sit. Neque vero Censuræ ruz audaciam excusat, quod inter proscriptos Michaelis Baii articulos isti quoque legantur, 27. *Integritas prima creationis non fuit indebita nature humane exaltatio, sed naturalis ejus conditio: & 53. Deus non potuisset ab initio creare hominem, qualis nunc nascitur.* Ut enim prudenter observat Guillelmus Estius in 2. sent. distinct. 26. §. 6. & Joannes Baptista Gonetus disput. 6. De statu nature pure, art. 1. §. 3. loquitur prior articulus de integritate prima, quatenus comprehendit gratiam; immo quatenus in gratia præcipue consistit; quam constat ex D. Thomæ 1. part. quæst. 95. art. 1. non naturalem primo homini fuisse, sed supernaturalem. Idque ex articulis 21. 23. 24. perspicuum est, qui eisdem cum vigesimo septimo, antea recitato, argumenti sunt, aguntque de dono gratiæ, hominem in Dei solum adoptantis. Aliter de homine, qualis nunc nascitur, discretissime loquitur, cum privatione scilicet gratiæ sanctificantis, & habitualis, sine qua non potuisset creari primum hominem, censuit Michael Bajus. Cæterum sit-ne humane nature congenita simplex illa, nudaque integritas, quæ in sola partis sensitivæ ad rationalem subjectione posita dicitur, ex Bajanorum articuloſum damnatione nequaquam extunditur.

Nunc, quam parum Moliniana assertioni, meditato Diplomate inuſta, congruat altera illa, quam excrisibis, D. Thomæ sententia, vel ipsis thronibus notum arbitror, quibus perspicuum est, aliud longe esse actuale gratiæ Dei adjuvantis auxilium, quod ad exerendos morales virtutis actus, velut inutile, repudiabat Ludovicus Molina; aliud gratiæ habitualis, seu gratum facientis donum, charitati penitus indivisum, quod, uti supervacuum ad morales virtutis actus exerendos, rejicit Doctor Angelicus. Supinam aberrationem castigat discretissimus sanctissimi Doctoris locus 2. 2. quæst. 136. art. 3. ad 2. „Bonum politicæ virtutis commensuratum est nature humane: & ideo, absque auxilio gratiæ gratum facientis, potest voluntas humana in illud tendere, licet non absque auxilio gratiæ Dei, actualis nimirum, & adjuvantis. Cui concinit aliter ille ex quæst. 24. De verit. art. 14. Quamvis humani justmodi bona, nature humane proportionata, possit homo facere sine gratia gratum faciente, non tamen potest ea facere sine Deo. . . Unde si gratiam Dei velimus dicere, non aliquid habituale donum, sed ipsam misericordiam Dei, per quam interius motum mentis operatur, & exteriora ordinat ad hominis salutem; sic nec ullum bonum potest homo facere sine gratia Dei: sed committer loquentes utuntur nomine gratiæ pro aliquo dono habituali, & justificante. Ex quibus intelligere est, D. Thomam gratiam quidem justificantem, atque adeo charitatem, ad bona politicæ virtutis, humane nature proportio-

nata, minime necessariam potuisse; non ideo tamen actualem, & adjuvantem, velut inutilem, repudiare, immo verius discretissime propugnasse.

Nam autem Moliniana assertio de solo concursu Dei generali, ad eos civilis honestatis actus necessario, in meditato Diplomate damnari nequiverit, nisi Bajani articuli 28. 29. 37. (1) necessaria consecutione probarentur, (quæ altera in Romanos Censores criminatio est) docebit te Gabriel Vasques; qui cum 1. 2. disp. 109. hanc ipsam Molinæ sententiam refutasset, omni argumentorum genere demonstrasset a cap. 2. ad 17. „Nullum opus morale, & omni circumstantia bonum, fieri posse sine aliquo auxilio gratiæ: potestrem tandem totius disputationis caput in his Baii articulis exponendis impendit, ne quis sententiam, superioribus capitibus propugnatum, eodem cum illis reſo petitam, existimet. Juvat integram Vasquesii caput 18. in pauca cogere, ut domestici scriptoris auctoritate, temeraria illa Bajaniſini quo iure, quæ injuria obijciendi audacia coerceatur.

Itaque sub ipsum statim initium notat Vasquesius, Bellarminum, qui Lovanii eo tempore fuit, quo contentiones istæ inter Doctores exortæ sunt, ac tum postea Romæ substitit, cum ea Pii V. Bulla adversus Bajum edita, & confirmata est; ac ipsum etiam Franciscum Toletum, qui Lovanium a Gregorio XIII. missus est, ut prædictam Bullam curaret executioni demandari, nihil illius auctoritate deterritus esse, ne & ipsi concordi sententia propugnarent, „nullam tentationem, nem, etiam minimam, sine auxilio gratiæ per Christum vinci posse, aut vitari sine peccato: „*tanetsi inter Bajanos articulos is num. 3. recenſatur*: Non solum fures hi sunt, & latrones, „qui Christum, viam, & ostium veritatis, & vitæ negant; sed etiam quicumque aliunde, „quam per Christum, in viam justitiæ, hoc est, ad aliquam justitiam conscendi posse, dicunt, aut tentationi ulli, sine gratiæ ipsius adjutorio, resistere hominem posse, sic ut in eam non incidat, aut ab ea non superetur. „Notat secundo Vasquesius, ex verbis ipsis, quæ damnatio in Bajanas propositiones distincta est, non satis apparere, qualis unicuique sigillatim propositioni censura conveniat: immo aperte constare, non omnes simul notas, atque censuras unicuique propositioni convenire, sed alias aliis esse tribuendas. Notat tertio, Bajum non modo multa de gratia docuisse, a veritate aliena, sed aliorum quoque sententias acriter perstrinxisse. Quo posito, non dubitat affirmare, Propositiones Baii, paulo ante memoratas, nimirum 29. 30. 37. 65. sicut etiam multas alias, acce nimis de aliorum Doctorum sententiis judicium continentes, damnari tantum, uti scandalo, & offusciculo patentes, hacque duntaxat ratione prohiberi: adeoque nullo pacto in Pontificiam damnationem incidere *sententiam Auctoris*, si oppositæ sententiæ censuram expunxeris. Quod ubi nonnullis exemplis aperit, ut datam explicationem confirmet, rem addit, observatione dignissimam: „Sensum hujus damnationis, prout a me explicatus est, contuli cum Illustrissimo D. Cardinali Franciscano Toletum, cum adhuc sacri Palatii Concionator, & Theologus esset, anno Dom. 1586. „qui, ut dixi, pro hac Bulla, & damnatione recipienda, Lovanium missus fuit, eumque probavit, & germanum esse, dixit, propriæque manu subscripsit; cujus subscriptionis exemplar „apud

„apud me adhuc est. „Pergit deinde Vasquesius ad expositionem Bajanae propositionis 28. *Libertum arbitrium sine adjutorio gratiæ non nisi ad peccandum valet*: quæ, ut nudam Auctoris sententiam præfert, nullamque aliter opinantibus notam inurit, ita damnari a Pio V. non potuit ob acrem partis adversæ censuram: ostenditque, ex statuto a se paulo ante, propugnatoque dogmate de gratiæ necessitate ad opera moraliter bona exerenda, minime consecutarium esse, quod suo illo asserto effutierat Michael Bajus: 1. quia multa alia opera etiam facit homo sine auxilio gratiæ, quæ tamen peccata non sunt, ut colere agros, ædificare, aut reficere domos, conciliare amicos, cæteraque id genus, præsentis vitæ commoditatibus interuentia: 2. quia Bajus nomine gratiæ, sine cuius adjutorio nil, nisi ad peccandum, valere liberum arbitrium, contendebat, auxilium inhabitantis Spiritus S. citra dubium intellexit; quandoquidem distinctionem gratiæ Spiritus S., non dum habitantis, & inhabitantis, uti commentitiam, explodebat: ipse vero, Vasquesius, inquam, gratiæ nomine, sine cuius ope nullum morale bonum fieri posse, demonstravit, auxilium duntaxat Spiritus Sancti moventis, hoc est, actualem, & adjuvantem gratiam intelligi, voluit.

Ita summam Gabriel Vasques non suam modo, sed & Romanorum Censorum, quorum sententiam eo in capite præformavit, causam agens; insulamque Bajaniſini criminationem depellens. Ex quibus etiam erudit Viri momenti, aliisque, a me in Historia productis, quæ Romanos Censores a proprio Baii sensu procul abscisissent, demonstravi, illud perinde perspicuum sit, me non nisi ad cumulatum, ut ajebam, ac ne quid inditum prætermitterem, alterum subjecisse responsum, ex famoſa Bullæ Pianæ commate petitum: non quod suffragia querere opus esset, illorumque causæ tuendæ admodum interesset, si nonnullas etiam Baii propositiones aliquo pacto propugnari posse, ostenderetur, in rigore, & proprio verborum sensu, ab eodem intento: ita nimirum appiſis Pontificiæ clausulæ commatibus, & apicibus: „Quas quidem sententias, stricto coram nobis examine ponderatas, quanquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent in rigore, & proprio verborum sensu, ab assertoribus intento, hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in piis aures offensionem miritantes, respectivè, & quæcumque super iis verbo, scriptoque emissa, præsentium auctoritate damnamus, circumſcribimus, & abolemus. „Quandoquidem autem scelus dicitis, morte lendum, quod eo demum dato responſo significarim, nonnullas Baii assertiones, in rigore, ac proprio verborum sensu ab assertoribus intento, propugnari posse, nec, nisi propter acerbitatem censuræ, quæ contrarias sententias inurit, Pontificiam damnationem meruisse: cur non potius sacras in Vasquesium vertis iras, qui, missis procul ambagibus, illud idem affirmare, nihil est veritus: non ex præfata Diplomatis clausula argumetur petens, quam potius, addito verbo, vitia vitavit; sed ex ipsa (quod crudius est) quorundam Baii dogmatum ratione; quæ, si modo contrariæ sententiæ censuram expunxeris, se ipsis apud Auctorem innocia sint? *Ex eo quod, inquit ille, prædictæ propositiones, (29. 30. 36. 65.) continentes severiorem notam oppositæ opinionis, hoc modo reprobatæ, & interdictæ sint a Pio V., & Gregorio XIII., non proinde ullo modo in damnatione Serry Tom. II.*

NEM, AUT NOTAM INCIDIT SENTENTIA AUCTORIS DE EA RE, SI TOLLAS CENSURAM DE OPPOSITA. Multæ alie propositiones, reſectæ in prædicta Bulla, ea solum ratione damnantur, quod oppositæ sententiæ censuram asperam continent; CUM SENTENTIA TAMEN AUCTORIS, IN CONTROVERSIA QUAM HABEBAT, INDEMNIS RELICTA EST Baii sententia, Vasquesio iudice, indemnitas relicta est Baii sententia, & in unam, quam addebat, contrariæ opinionis censuram Pontificia damnatio distincta est; parum profecto religionis, ac fidei interest, five hanc ipsam Bajana sententiæ indemnitate, subiecta Bullæ clausula indicatam, dicat aliquis, five neget: sic enim, Vasquesio duce, atque Magistro, hæc propositiones, nude, ac simpliciter elatas, expuncta partis adversæ censura, propugnare licebit, juxta indemnem, ut vocat, Baii mentem, atque sententiam: *Libertum arbitrium nihil valet ad ullum peccatum vitandum. . . Nulli tentationi, sine gratiæ Christi adjutorio, resistere homo potest, sic ut in eam non incidat, aut ab ea superetur. . . Nullum est bonum naturale, hoc est, quod ex natura solis viribus ortum ducit. . . Nullus admittendus est usus liberi arbitrii bonus, sine non malus.* At tu, diffimulata Vasquesii, in exponendo Diplomate, libertate, quæ latorem propugnandæ, quoad articulos aliquos, Bajana sententiæ viam aperit, in eos duntaxat stilum acuis, qui de famoſo commate litem movent: ex quo tamen si quid incommodi sequitur, illud ipsum, ut summe est, quod aliunde certo liqueat, contendit Vasquesius: posse scilicet ex Baii propositionibus aliquas, juxta *intentionem Auctoris sententiam* (modo acrem oppositæ censuram expunxeris) propugnari. *Pondus & pondus, mensura, & mensura, utrumque abominabile est apud Deum. (1)*

Et mea quidem nihil interest, quid tandem de famoſo Pianæ Bullæ commate statuerit. Seu enim propositionum illarum aliquæ, proprio Auctoris sensu acceptæ, seu in alienum duntaxat sensum inflexæ, propugnari posse dicantur; perinde Romani Censores, quorum hic ego causam ago, in tuto sunt; quos nihil cum Bajo habuisset commune, demonstravi: nec, nisi ad *juris cumulatum*, ut præmonui, postremum illud de famoſo commate responsum insinuavi, quod ad refellendas Leodienſis scribæ cavillationes, non erat opus. Viderint itaque, quorum interest, quosque potissimum in oculis habes, quam futiliter spartam illam adornes: quam infirmis, levibusque momentis, Pontificii diplomatis clausulam, interjecta post vocabulum *possent* controversa virgula, legendam ostendas; ut in proprium verborum sensum, ab assertoribus intantum, Pontificia Censura referatur. Viderint, quo titulo libellos, a Sodalibus tuis confarcinatos, venerando Academiae Duacensis nomine vendites, potissimamque ex illis probationes excrisibis. Viderint, fatiſ-ne concordi consilio, atque ex juris formalis facta sit anno 1699. *Resolutio facultatis Theologicæ Lovaniensis de scriptis D. Henrici Denis*; (2) ex qua momentum potissimum repetis; fatisque cum Colonienſis Academiae Censura de scriptis iisdem, Serenissimo Eleſtori data, consentiat. (3) Hæc, inquam, viderint, quorum interest, cæteraque abs te producta momenta dispungant. Pauca ego ad ea responam, quæ me singulariter in ea quæſtione congerie contingunt, productasque a me in Historia probationes cavillantur: modo tamen nonnulla in antecessum præmonuero, ad inanes cavillationes, atque calumnias repellendas: Propositiones

(1) Nota, Baii articulos non eodem semper numero recenſeri in variis Piani Diplomatis exemplis; sed duos quandoque articulos in unum compingi.

(1) Prov. 20. v. 14. (2) Collectio Operum M. Baii, & Auctori Documentorum ad Historiam Academicam Duacensem. (3) Vide hic sect. 2. cap. 8. & sect. 3. cap. 10.

scilicet illas, quæ aliquo pacto sustineri posse dicuntur, in rigore, & proprio verborum sensu, ab assertoribus intento, ex illarum duntaxat numero esse, quæ non modo Assertorum ipsorum de certis doctrinæ capitibus sententiam referunt, verum etiam oppositam Doctorum quorundam opinionem acerbè perstringunt: quales profecto sunt 22. 29. 30. 37. 62. Bisariam porro intelligi potest, Pium V. addita clausula, declarasse, eas aliquo pacto sustineri posse, in rigore, & proprio verborum sensu, ab assertoribus intento: Vel quasi eas, in rigore, & proprio verborum sensu, ab assertoribus intento, propugnari posse, declaravit, tam quoad substantiam dogmatis, quam quoad oppositæ sententiæ censuram, quam ex accidenti complectatur: vel quasi eas sustineri posse, dixerit Pontifex, quoad substantiam dogmatis tantum, rejecta tamen audaciori contrariæ sententiæ censura. Certe, qui priori modo famosam Piani Diplomatis clausulam intelligerent, censuram Pontificiam sibilis, & cachinnis obicerent; sic enim propositiones, ut ut minimum, veluti in piæ aures offensionem mittentes, inuret Pontifex, quas tamen omni ex parte, in rigore, & proprio verborum sensu, sustineri posse, declararet: quo nihil absolum magis. Verum, qui altero duntaxat modo controversam clausulam intelligunt, (in quibus profecto sum ego, semperque fui) si sane Pontificia censure aequitatem integram retinent. Quandoquidem jure, meritoque propositio illa, ut in piæ aures offensionem mittens, proscribenda venit, quæ licet in rigore, & proprio verborum sensu, ab assertoribus intento, aliquo pacto sustineri possit, quoad substantiam videlicet dogmatis; eo tamen estetur modo, qui piæ aures offendit, oppositam nempe sententiam, a viris doctis, & piis propugnari solitam, acerbius, quam par est, suggillando. Immo quisquis ita mecum clausulam accipit, non aliud profecto, quoad doctrinæ summam, docere convincitur, quam, quod Vasquezus, probante Cardinali Toletò, propagavit. Eri enim propositiones illas, in sensu obvio, ab assertoribus intento, damnatas, dicitur Vasquezus; non ideo tamen in ipsam dogmatis substantiam, Pontificiam censuram districam, existimat; sed in unam, quam ex accidenti adiecit Auditor, contrariæ sententiæ criminacionem: quam si semel expunxeris, Auditor sententiæ indemonis relinquatur. Hinc facile noveris, totam illam de famoso Piani Diplomatis commate questionem, cujus occasione tot in me convicia, tot probra congeris, ad levem facti questionem, ut a me proponitur, revocari: in qua si semel Vasquezii, & Toletii interpretationem admiseris, nihil ad dogma omnino refert, quo quisque loco famosam virgulam figat, sensumque, ab assertoribus intentum, indemonem aut dicat, aut neget. Quandoquidem in id demum cum Toletò, & Vasquezio consentio, ac mecum ipsi vicissim affirmant, sensum, ab assertoribus intentum, quoad ipsam per se substantiam dogmatis, a Pio V. permitti; quoad vero partis adversæ censuram, jure, meritoque damnari. Nec nisi in vocis sono diffidemus; cum illi sensum, ab auditoribus intentum, a Pio V. damnatum, dixerint; ita tamen, ut sensus intenti nomine, censuram, adversæ sententiæ ab iisdem inflicam, intelligant, indemnemque substantiam dogmatis velint: ego vero, sensum ab auditoribus intentum, indemnem asseram; sic tamen, ut sensus intenti nomine, ipsam dogmatis substantiam intelligam, damnatamque velim adjectam partis adversæ censuram. Eo dato monito, jam ad tuas cavillationes accedo, quibus productas a me in Historia probationes elidere niteris, quæ

me in eam de nonnullis Baii propositionibus sententiam inducere.

Prima ex Cardinalis Granvellani ad Morillonium Epistola probatio petebatur, qua significabatur, proscripitarum propositionum aliquas, tametsi in rigore, aliquo sensu exponi possint, ut excusentur; piis tamen lectoribus offendere. Quam tu probatorem, a me datam, usque adeo despicias, ut mirum esse dicas, si Historici inopiam tacite non videant ipsi, qui non nimis desipiunt Baiarum: cum nihil aliud ea Granvellani observatio probet, quam id, de quo nulla profertur, vel unquam fuit; & quod omnes agnoscunt, significari his Diplomatis Pontificii vocibus, quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent: non eo tamen pacto, quo sustinerant eorum assertores, in quorum sensu damnabantur. At veror ego maxime, ne Thrasionis potius audaciam aperte rideant ipsi, qui non nimis desipiunt Mohiniani; cum nobis, ubi minus locus est, ferocius insultes; ac tunc maxime Granvellani sensum auderes, dum illum nitidius, & apertius exposuisset, videri vis Declarat enim vero Eminentissimus Princeps, exequendi Diplomatis adminiter, in quam partem subjectæ clausulæ verba accipi debent: quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent in rigore, ac proprio verborum sensu, ab assertoribus intento, hereticas, erroneas, suspensas, temerarias, scandalosas, & in piæ aures offensionem mittentes, damnandas &c. quia ex veteri ritu, absque paucis, & apicibus, in Pio V. Autographo legebantur. Eaque verba sic essent, ut quod de sensu, in rigore accepto, ibidem dicitur, cum his componat, atque conjungat, quæ antecedunt, nempe aliquo pacto sustineri possent: sic, ut plane significet, rigorosum verborum sensum, (quem ab assertoribus intentum, innotuit Pontifici) illum ipsum esse, qui aliquo pacto exponi potest, ut excusetur. Dicitur propositiones adnotatæ, inquit Granvellanus, pronunciantur, nonnullæ quidem erroneæ, aliæ suspectæ, aliæ scandalosæ, aliæ, tametsi, in rigore, aliquo sensu exponi possint, ut excusentur, piis tamen lectoribus offendunt, &c. Accedit ad hæc, Granvellanum propositiones, quæ, in rigore, aliquo sensu exponi possunt, ut excusentur, ab erroneis, a suspectis, a scandalosis aperte distinguere, easque non alio titulo innotas declarare, quam quod piis lectoribus offenderent. At si sensus, in quem exponi possunt, ut excusentur, non assertorum ipsorum esset, sed alienus, ac peregrinus; nemo non videt, eas non ob id unam fuisse damnandas, quod piis lectoribus offenderent, sed quod errorem præ se ferrent: cum, in omni confingenda propositione, Auditoris sensus potissimum attendatur. Licet igitur, id maxime significasse Granvellanum, exequendi Diplomatis administram, proscripitarum propositionum aliquas, tametsi in rigore, sententiæ, ab assertoribus intento, per se se innocias; damnationem nihilominus meruisse, quod ex proponendi, nihillominus ratione piis lectoribus offenderent; viros scilicet piis, ac doctos, contrarium statuentes, acerbius, quam par est, perstringendo.

Alteram probationem nostræ ex D. Morillonii ad Granvellanum Epistolæ sumpta erat, die 20. Junii 1569. data Bruxellis, qua isthac de Michaelæ Baio narrabatur: Dixit, paratum se esse ad obediendum, ac genua submittere, ut absolutionem acciperet. Hanc me illi datum esse, dixi, modo ejuraret. Quæsit, quid esset ejuraturus: respondi, Propositiones, a Summo Pontifice reprobatas: tunc crevit se, & ait, se prestare non posse, nisi Diplomatis transcriptum haberet: quod in eo scriptum esset, nonnullas propositiones defendi posse in rigore, & proprio verborum sensu. Ad quæ tamen Baii verba

ba nihil reposuisse Morillonium observabam, ut illum ea parte delusum significaret, alterumque Diplomatis sensum, ob virgulam præponendam, inureret: suoque idcirco silentio assensum esse: cum usque adeo stipes obtendi non possit, ut nihil Pontificii Diplomatis interpolatori reposuisset, cuius illi, Pontificis nomine, executio demandata erat. Quæ tu vero suffragia quæris, ut te quoquo pacto expedias? Singula observemus, ac rideamus. Primum est; Archetypum Piani Diplomatis instrumentum nullas interpolationes habuisse; adeoque nil mirum, si Morillonio obsecrum, incertumque tunc fuit, an præcedentibus verbis connectenda esset ea pericope, in rigore, & proprio verborum sensu, ab assertoribus intento; an ad subsequentera referenda; nihilque idcirco tergiversanti Baio reposuit; ut eundem in ordinem cogeret. Verum, quod ex unius Diplomatis lectione clarum, apertumque Morillonio esse non potuit, potuit saltem ex Cardinalis Granvellani adjunctis Epistolis innotescere, queis illi Pontificiæ clausulæ sensum aperuit. Alterum effugium est, probari non posse, assensum hunc Morillonii Baio datum, prudentem fuisse; cum tunc saltem incertum esset, in quam partem referenda esset famosa illa Bullæ pericope. At te ipsum porius imprudentissimum esse, probatur facile, qui subfugato exequendi Diplomatis Administro improbitiam exprobrat, eademque semper oberes chorda. Prudenter omnino assensus est Morillonius, quia quod, inspecto duntaxat Diplomatis instrumento, obscurum erat, vis Granvellani Litteris, planum fuit. Tertium effugium est, nullo ex capite compertum esse, nihil Morillonium ad Baii exceptionem reposuisse; nullamque tota Epistola extare sillabam, unde tacitus hujusmodi assensus exculpi possit; sed contrarium potius ex integra ejusdem serie facile colligi. Immo nihil ad eam, de qua hic agitur, Baii exceptionem reposuisse Morillonium, ac silentio assensisse suo, tota clamat Epistolæ series, modo, vacuo præjudicis animo, percurratur. Dicenti etenim Baio, se reprobatos articulos ejurare non posse, nisi Diplomatis transcriptum acciperet; quod in eo scriptum esset, nonnullas propositiones defendi posse, in rigore, & proprio verborum sensu, id unum a se responsum datum, narrat Morillonius, data ad Granvellanum Epistola: Exemplum Diplomatis tradidit non posse, cum & ipse, qui rogabat, datis Romanis Epistolis, obtinere non potuisset, ut nec illius adversarii obtinuerant; quod omnia silentio invelit, Pontifex velle: de altero tamen, quod caput erat, dataque per Baium exceptionis fundamentum, ne verbum quidem additum, scribit, scripturus utique, si quod fuisset. Je dis, que je ne la pouvois donner; & qu'il le savoit bien, qu'il ayant écrit à Rome pour les avoir, il ne les avoit seu obtenir; comme aussi n'avoient ses adversaires: pour ce que le vouloir de Sa Sainteté étoit de mettre tout le pieds. Cumque ingentem illam suam ejurandi difficultatem iterum, ac tertio significasset Baius, ob confixuram propositionum diversitatem e rat, ex ipsis Diplomatis verbis, defendi poterant in rigore, & proprio verborum sensu; ita demum ad ejurandos articulos admittitur, juxta decretum, censuram, & mentem Sanctitatis Sæ, ut tamen a contestata toties denunciatione recedere, coactus non sit. Il repliqua, que cela lui donnoit une grande perplexité pour la diversité des propositions. Il refusa d'abjurer toutes les propositions, contents en la Bullé, suivant le decret, censure, & intention de Sa Sainteté, & se prosterna à genoux.

Serry Tom. II.

Quid est, rogo te, silentio assentiri, indulgentia, voluntariæ confirmatione, si hoc non est? Quidni vero ita Baio, quoad illam factæ contestationis partem, assensus esset Morillonius; qui toti Theologica Facultati Lovaniensi multo disertius, & apertius non ita pridem assensus erat, dum præfens ipse, volens, ac videns, hocce denunciati Diplomatis, & obita provincia testimonium, publicis Academia tabulis inscribi, permittit, probavitque? (1) Decanus pro tempore Facultatis S. Theologiae in Univeritate Lovaniensi, omnibus, & singulis, præfentes Litteras inspecturis, salutem in Domino. Notum vobis facimus, quod die datæ præsentium, indicia ad hoc specialiter Congregatione dictæ Facultatis, comparuit coram nobis R. D. Maximilianus Morillonius, Præpositus Ecclesiæ D. Petri Arianis, & Illustrissimi D. Cardinalis Granvellani, Archiepiscopi Meclinienis, Vicarius generalis, qui ibidem exposuit, brevi se accepisset Bullas Apostolicas SS. D. N. Pii Papæ V., expeditas Romæ Cal. Octobris, ultimo præteriti, Pontificatus sui anno 2. quibus certæ sententiæ, & scripturæ, proloquia, & disputationes damnantur, respectivè tanquam erroneæ, hæreticæ, scandalosæ, & piarum aurium offensivæ, quamquam earum nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, in rigore, & proprio verborum sensu, ab assertoribus intento; quibus pauci aliqui Magistri hætenus in nostra

Schola novo more uti ferebantur. Tu ne Morillonium stipitem dixeris, qui in ipso denunciati, receptique Diplomatis Instrumento, ea pericribi sineret, quæ Diploma perverterent, vitianturque? Reponis, præsumi omnino non posse, huic exceptioni assensum dedisse Morillonium, cui illud potissimum in mandatis dederat Granvellanus: (2) Prædictum Diploma cum Decano, & præcipuis Academiæ Magistris, communicabis, modo prius cum Baio collationem habueris: ut inspecta Sanctitatis Sæ Censura, non ultra eas propositiones defendi sinerent, cujusvis excogitate interpretationis obtentu. At quid tu conjecturas obijcis, ubi ipsa res gesta in omnium oculis est, atque in publico Academiæ instrumento percripta? Quidve jam Granvellanum Granvellano contrarium facis, paucis ante lineis eadem in Epistola pronuncianti, damnatarum propositionum aliquas, in rigore, aliquo sensu exponi posse, ut excusentur? Immo quid Diplomati Pontificio, quale etiam a te ipso exponitur, contradicis? Sin minus enim in rigore, & proprio verborum sensu, ab assertoribus intento, ac certe aliquo pacto sustineri posse, propositionum illarum aliquas, clamat Diplomatis textus, nec differis; cum interim Granvellanum inducas, Morillonio scribentem, nullas e damnatis propositionibus defendi posse, cujusvis excogitate interpretationis obtentu: quæ vox non Assertorum tantum, sed & quamlibet aliam, quæ cogitatione fingi possit, interpretationem interdicit. Istud igitur habe; Granvellanum, & secum ipso, & cum Diplomate consentientem, non id citatis a te verbis voluisse, nullam posse interpretationem excogitari, qua nonnullæ e damnatis propositionibus in rectum sensum accipi possint: Quis enim ita desipiat? Sed id unum desiderasse, ut Theologi Lovanienses ab hujus argumenti disputationibus interim abstinerent, donec excitæ Lovanii turbæ quiesceret; nec ulla ex iis propositionibus defendi sinerent, cujusvis interpretationis obtentu, qua in Catholicam sententiam secti possunt.

Tertia assertionis nostræ probatio, in Historia

T 2 no-

nostra prolata, ex laudato paulo ante Lovanien-
sis Academia Decreto petebatur: quod nemo si-
bi persuaserit, sapientissimos Patres, sub ipsis
Pontificis Administri oculis, ac presentibus Baii
adversariis, clausulam publico instrumento suppo-
suisse, quæ Pontificii Diplomatis sensum inverte-
ret. Ad quæ perbelle reponis, totum id ex pruden-
ti coniventia factum, ac pro tempore; ne exulcerato
Baii animus irritaretur acerbius: lapsu
tamen temporis, dum ulcus Michaelis detumuit,
Facultate Theologica Lovanienfem, rogante
Nuntio Apostolico, Episcopo Vercellenfi, con-
tradictorias damnatis Baii propositionibus expres-
sisse, quæ pro norma essent tenendæ deinceps Lo-
vanii doctrinæ: (1) quæ utique formula palam
fecit, credere se se, nullas ex damnatis propo-
sitionibus defendi posse, in rigore, & proprio ver-
borum sensu, ab assertoribus intento; quidquid
pridem ante Decanus pro tempore Facultatis, cum
plaga recentior duriores tactus non ferret, oppo-
situm inuenit. Egregie scilicet excogitatum!
Prudenti in Baium coniventia factum est, ut
quo Decreto Doctores Lovanienfes denunciatam
sibi Bullam Apostolicam, ac singula, & universa,
in ea contenta, unanimiter acceptant, eademque in
omnibus & per omnia obedientiam profiterentur, clau-
sulam indidem inferant, quæ Bullam ipsam effe-
ctu vacuet, ejusdemque sensum invertat. Vah sacri-
legam coniventiam! Sed & perperam, pro-
scriptorum a Pio V. articulo-um explicationem
obtrudis, anno 1585, Apostolico Nuntio, Epi-
scopo Vercellenfi, datam; quasi quidpiam insertæ
olim clausulæ contrarium contineret. Quando-
quidem ne minimum quidem verbum tota illa
scriptio reperire est, quo quidpiam de sensu,
ab assertoribus intento, pronuntiaverit Academia;
nec contrarias, ut singis, ubique damnatis pro-
positionibus sententias amplectitur, quoad ipsam
substantiam dogmatis, atque doctrinæ, sed admif-
fa plerumque Auctoris sententia, velut indemni,
in unam, quam audacius addiderat, partis adver-
sæ censuram stitulum exercet. Quid, quod illi ipsi
Articuli, ab Academia Lovanienfi sic explicati
anno 1585, hanc inscriptionem præferunt in Co-
dice MSS. Monasterii Parcentis, prope Lova-
nium? *Sequitur Articuli, Calendis Octobris an-
ni 1567. a Pio V. per Bullam plumbeam damna-
ti, tanquam respectivè erronei, heretici, scandalo-
si, & offensivi; quoniam, ut ait Bulla, nonnulli
sunt, qui juxta sensum, ab Auctoribus intentum,
veri sunt &c. Cui & plane concinit, quod habet
Valerius Andreas in falsis Academicis studii ge-
neralis Lovanienfis, Editione 2. pag. 365. de Pii
V. Bulla sermone habens, quo tempore Michae-
lis Baii valnus, ut loqueris, detumuerat: quæ
damnantur certe sententia seu propositiones, uti he-
retica, erronea, suspecta, temeraria, scandalo-
sa, & in pias aures offensionem immitrentes, respectivè;
quamquam nonnulli, ut eadem loquitur Bulla, ali-
quo pacto sustineri possent, in rigore, & proprio ver-
borum sensu, ab assertoribus intento.*

Quarta demum probatio nostra, eademque po-
strema, Cunei Petri suffragio stabat, qui eo in
Opere, quod anno 1570. ad Pontificii Diplo-
matis defensionem adornavit, ita disputatam clausu-
lam reddit: „ Quas quidem sententias, stri-
cto coram nobis examine ponderatas, quam-
quam earum nonnullæ aliquo pacto, in rigore,
& proprio verborum sensu, ab assertoribus in-
tento, sustineri possent, tanquam erroneas ta-
men, & hereticas, & quæ scandalum, & of-
fensionem in pias aures immittant, damnamus,
& abolemus &c. “ Quibus in verbis multa pro

more cavillaris, ut nodum exsolvas. Primo, Cu-
neri Petri Opusculum nusquam typis editum pro-
diisse, sed manuscriptum alicubi delitescere, nec
nisi a Jansenianis, nullam ea in parte fidem fac-
cientibus, transcribi, & commendari. Secundo,
non illum ipsum esse verborum ordinem, quæ
Pontificia clausula continetur. Tertio, Baiano-
rum Operum Collectorem, a quo eadem illa Cu-
neri verba e manuscripto Codice excerpta sunt,
pag. 236. non omnino cum Historico convenire:
quippe qui conjunctionem & adjiciat post id aliquo
pacto; idemque vocabulum tamen omittit post vo-
cem erroneas. Nugæ, profecto nugæ, quæ vitili-
gatorum verius prodant, quam productum mo-
mentum elidant. Equid enim vetat, momentum
ex manuscriptis Codicibus peti, a quibusvis tan-
dem transcribantur, & commendentur; modo ta-
men nulla falsi indicia præ se ferant, & cum ali-
iis ejusdem ævi documentis probe consentiant?
Consentit porro ea Cunei Petri testificatio cum
Lovanienfis Academiae decreto, cum falsis Aca-
demicis Valerii Andreae, cum Codice manuscrip-
to Monasterii Parcentis, aliisque ea ætate exaratis
instrumentis; ubi eundem in sensum flectitur
clausula Pontificia; ut verus illius sensus, Car-
dinalis Granvellani Epistolis declaratus, facilius
percipiatur. Quare nil mirum, si verborum or-
dinem paulisper invertit, cum nec Diploma tran-
scribat, sed denunciati Diplomatis historiam nar-
ret: invertit vero, ne si eundem omnino ser-
vasset ordinem, sensus, cui declarando, & expo-
nendo studebat, perinde obscurus relinquere-
tur. De reliquo Baiano-um Operum Collectorem nihil
moror; ac sive mecum, in transcribendo Cunei
Codice, consentiat, sive dissentiat, mihi mihi du-
co. Dicam tamen, Cunei fragmentum, bis ab
eo transcriptum, legi, primo quidem pag. 202.
secundæ partis, in eundem plane modum, quo in
nostra Historia recitatur: secundo, pag. 236. par-
tis ejusdem, ubi conjunctio & adjecta est, &
vocabulum tamen omisit: Ut hinc colligere li-
ceat, rem casu, non studio, atque industria eve-
nisse; cum præsertim idem utrobique sensus ex-
tet, nihilque plane referat, seu utrumque voca-
bulum demas, seu ponas. Quod enim ais, verba
hæc, nonnullæ propositiones aliquo pacto, in rigore,
& proprio verborum sensu, ab assertoribus intento,
sustineri possunt, significationem prorsus ineptam
legentibus ingerere, cum quæ sensu proprio sus-
tinentur, non aliquo duntaxat pacto sustineantur?
Id, inquam, explosum est, dum geminum Pon-
tificiæ clausulæ sensum exponeremus. Quæ enim
propositiones, in rigore, & proprio verborum
sensu sustineri posse, dicerentur, tam quoad sub-
stantiam expressi dogmatis, quam quoad adjectam
adversæ sententiæ censuram, eæ quidem nos ali-
quo duntaxat pacto sustineri posse conferentur: at
quæ sustineri duntaxat posse dicuntur, quoad sub-
stantiam dogmatis, non item quoad adjectam op-
positæ doctrinæ censuram, uti profecto nos dixi-
mus, eæ certe aliquo duntaxat pacto sustineri pos-
se reputantur.

Atque hæc, de celebri Piani Diplomatis clau-
sula, nimis fortasse multa: utpote quæ, non ex-
tendæ causæ necessitate, sed ad juris duntaxat
cumulum dicta sunt: ut ea quoque ratione, Ro-
manorum Censuram, adversus Leodiensis Scribæ
calumniam, orthodoxia defendenderet; quos aliun-
de demonstravimus, nihil cum Baii placitis ha-
buisset commune, ac nunquam ad eam, de qua
dixi hæc, exceptionem confugisse.

Sequitur postrema, quam recudere gestis, Leo-
diensis Scribæ in eisdem Censores structa calum-
nia,

nia, de damnatis scilicet Molinæ sententiis, de
quibus disputatum est Pontificis præscripto non
fuerat. Harum specimen concordio consilio ponitis
in hac tercia digesti indiculi assertionem: *Parvuli,
sine Baptismo decedentes, meliorem post diem Judicii
vitam, vitio omni mentis, & corporis immunem,
in perpetuas æternitates ducunt, quam ullus unquam
mortalium duxerit. Verum quam immerito eam ob
rem Romani Censores in jus vocentur, quadrup-
plici ex capite probatum est. 1. Quod in dan-
nandarum propositionum indiculo, a Notariis di-
gesto, & ab universo Consultorum consensu reco-
gnito, atque probato, ea Molinæ propositio non
extet, sed in peculiari duntaxat Archiepiscopi
Armachani catalogo: Quo vel uno structa uni-
verso Censuram confessui calumnia revicta est. 2.
Quod de ea Molinæ sententia, fin minus ex initi-
tuto, at ex occasione saltem, fuerit disputatum:
Quæ res Archiepiscopo Armachano in causa fue-
rat, cur illam una cum reliquis inusitam vellet. 3. Quod
apud Molinam extet totidem verbis, aliisque mul-
to laxioribus, quæ viro cuique cordato stoma-
chum moveant. 4. Quod acrem censuram mereat,
utpote quæ Scripturis, Conciliis, Pontifici-
bus, Patribus adversa sit; & a Cardinalibus Bel-
larmio, Lauro, Norisio, velut hæretica, aut
saltem erronea, proferatur. Hæc nos fufe ad-
modum profecuti sumus lib. 4. cap. 20. quibus,
ne victus silentio videaris, nonnihil levi brachio
reponis; iis surda aure capitibus prætermis-
sis, primo nimirum, & ultimo, quorum majus mo-
mentum est. Audiamus tamen in cæteris vitili-
gantem.*

Et de ea quidem Molinæ sententia, ex occa-
sione saltem, disputatum esse, non abnui, dum
de victoria tentationum instituta questione die 2.
Septembris 1602, eo demum devenit Lemosius,
ut ostenderet, peccatum originale a Molina re
ipsa negatum esse, in Concordia, quæst. 23. ar-
tic. 4. & 5. membr. 9. ubi hæc habet: *Parvuli
reprobati perinde se habent, ac si in solis natu-
ralibus fuissent constituti: immo post diem Judicii,
cum ipsorum anime suis fuerint corporibus restitute,
ab omnibus molestiis, & ærumnis, quibus in hac
mortalis vita subjacent, supernaturaliter liberabun-
tur, melioremque in naturalibus vitam, vitio omni
mentis, & corporis immunem, in perpetuas æterni-
tates ducunt, quam ullus unquam mortalium duxe-
rit. De hoc, inquam, disputatum, concedis ul-
tro: verum misera fuit, inquis, Lemosii argu-
mentatio: siquidem nec negare re ipsa pecca-
tum originale, censendum est, qui pueros repro-
batos agnoscit, iisdemque damni penam ad-
scribit, esto penam sensus, cum D. Thoma
communiorque Scholasticorum sententia, ipsi
abjudicat: nec quidquam ad victoriam tenta-
tionum faciebat hujusmodi eventulatio.⁶⁶
Fallor, si quis miseram Eleutherii responsonem
non dixerit. Non enim id agitur in præsentia,
recte ne, an male Lemosius disputaverit, sed fue-
rit ne de ea Molinæ sententia coram Clemente
VIII. disputatum. Nec ob id unum, negati re
ipsa Originalis peccati Molinam arguebat Lemo-
sius, quod pueris non ablutis penam sensus abju-
dicaret; sed quod illorum reprobatorem, ac pen-
nam damni adeo extenuaret, ut verum culpæ
reatum, veramque maculam, illorum animabus
adherentem, qua filii iræ, ac contumeliæ sint,
diffiteri omnino videretur; dum illos haud aliter
affectos diceret, ac si fuissent in parvis naturalibus
constituti; eisdemque beatam vitam tandem ali-
quando ducturos, effutiret, vitio omni mentis
expertem, melioremque, quam ullus unquam ho-
minum duxerit. Quisquis autem, questionis hu-
jus eventulationem nihil ad propositam tunc de*

victoria tentationum controversia pertinere, ait,
is prima Molinæ doctrinæ principia ignorare
convincitur. Idcirco enim naturales liberi arbi-
trii vires, superandis tentationibus pares effue-
bat Molina, quod eisdem lapsæ naturæ vires ef-
fe, contenderet, quales puræ naturæ: cujus hanc
rationem obtrudebat, quod peccatum originale in
nuda, ac simplici justitiæ privatione situm esset:
ex quo illud plane sequebatur, quod de pueris,
eo duntaxat peccato detentis propugnabat.

„ Sed sensit, inquis, eo in capite cum Moli-
na Doctor Angelicus. Non enim Molina sim-
pliciter ait, pueros post diem judicii beatam
vitam habituros; sed comparate tantum de illis
agit: melioremque in naturalibus vitam, vi-
tio omni mentis, & corporis immunem, in
perpetuas æternitates ducturos, ait, quam ullus
unquam mortalium duxerit. Atqui S. Thomas
quæst. 5. De malo, art. 3. & in 2. sentent.
distinct. 33. quæst. 2. art. 2. concedit iisdem
parvulis vitam immunem ab omni pena sen-
sus . . . expertem doloris, & afflictionis . . .
non minus, sed magis in cognitione exigentem,
quam anime, quæ sunt hic . . . nihil omnino
dolentem de carentia visionis Divinæ . . . immo
magis gaudentem de hoc, quod participabunt mul-
tum de Divina bonitate, & perfectionibus natu-
ralibus . . . naturali cognitione, & dilectione.

Respondeo, Molinam & absolute, & comparate
locutum esse de pueris: ac utroque modo longe
a D. Thoma abscesse. Absolute enim pronun-
ciat, parvulos perinde se habere, ac si fuissent in
solis naturalibus constituti; iisdemque vitam, vi-
tio omni mentis, & corporis immunem adjudi-
cat: comparate vero, meliorem illorum in natu-
ralibus sortem futuram, hariolatur, quam ullus
unquam mortalium habuerit. Ex adverso Doctor
Angelicus, tamen de pueris, sine baptismo sub-
latis, mitius sentiat Augustino, cæterisque (quo-
rum iudicium refugis) Pelagianæ sectæ debellato-
ribus; nusquam tamen illos ita se habere, com-
mentus est, ac si fuissent in solis naturalibus con-
stituti. Quippe qui quatuor ex originali peccato
vulnera confecta esse, docet, quibus pura naturæ
caruisset: ignorantiam scilicet in intellectu, eam-
que non simplicis nescientia, qualis etiam in na-
tura pura fuisset, sed pravæ dispositionis, qua li-
benter approbat homo falsa pro veris; malitiam
in voluntate, qua suapte genio propendet in ma-
lum: concupiscentiam, rationi perisuellem, quæ
homini insit contra naturam: infirmitatem in
appetitu irascibili, per quam a boni prosecutione
retrahitur. Nec vitam pueris illis, omni mentis,
& corporis vitio immunem, adjudicat; cum vel
ipse originalis peccati reatus, adhaerensque animæ
macula, qua filii iræ, & vasa contumeliæ sunt,
vitiis haud modicum sit, cujus causa æternæ
morti, ac damnationi adducuntur. Nec institutam
a Molina comparationem admittit unquam sanctis-
simus Doctor: quia, licet parvuli ab iis penis
liberi sint, a quibus in hac mortali vita eximi-
tur nemo; aliunde tamen culpam originis, animæ
adherentem, reatum, iram Dei, damnationem,
aversionem ab ultimo etiam naturæ sine experien-
tur, a quibus iusti quique in præsentia procul
abunt. Si quod vero gaudium, ex naturali Dei
cognitione, atque amore profectum, pueris illis
adjudicat, meræ concupiscentiæ est, quale etiam
in malis Angelis ponit 1. part. quæst. 60. art. 5.
qui Deum, ut est essendi naturale principium no-
runt, ac plusquam se ipsos diligunt; non autem
amicitiæ efficacis, quæ cum aversione a Deo,
uti naturæ auctore, stare non potest.

(1) Declaratio super quibusdam articulis &c.

CAPUT V.

Vani Eleutherii conatus in vellicanda postrema Historia nostra parte, ubi de meditati iudicii promulgatione, in aliud tempus missa, aliisque inde secutus sermo fuit.

Quo pacto, quoque consilio in aliud tempus a Paulo V. protrahita sit meditati iudicii promulgatio, sat multis dictum est lib. 4. cap. 22. & sequentibus: nunc quid in hac narratione reprehendas, breviter expendendum. Etsi vix novum quiddam obrudas, quod a Questionum Eventuatore (1) obiectum ante non fuerit, & a me, data opera, confutatum.

Illud ergo potissimum displicet, quod meditationem in Molinianos Pontificiam definitionem in suspensio positam, dixerim, interditi Veneti occasione; agente potissimum, ac procurante Cardinali Perronio; ne quo tempore fortunam suam pro Apostolica Sede Jesuitarum devovebant, eo Pontificis telo confecerentur. At nihil me ea in parte pro arbitrio finxisse, sed praxidem, quantum res ipsa patitur, ex variis iudiciis concludam duxisse, palam feci lib. 4. cap. 2. & Tom. 1. Gallicæ Defensionis, quæst. 1. cap. 14. adversus tuum illum, quem fidenter exscribis, Questionum summi momenti Tractatorem. Illud dictis adijciam, quod ab illius ævi scriptoribus observatum est: Jesuitas fœdalis idcirco maxime, in eo rerum concursu, a Romani Pontificis partibus stetit contra Rempublicam Venetam, ut pendens tunc de Divinis Auxiliis Controversiæ supremum iudicem demereretur, sibi que propitium facerent. (2) *Tous les anciens Ordres religieux n'en bougerent pas, mais presque tous les nouveaux sortirent des terres de la Seigneurie; particulièrement les Capucins, & les Jésuites, tous deux fort attachés au Saint Père: ceux cy d'ailleurs ayant à démêler devant lui cette grande Affaire de la grace avec les Dominicains, dans laquelle, il n'y alloit pas de moins, s'ils la perdoient, que d'être notés de temerité, & d'erreur.* Seu, ut latine dicam: *Ex antiquis virorum religiosorum Ordinibus nullus omnino ex Imperio Veneto excessit; at recentes sermo omnes abiit; atque in iis maxime Capucini, & Jesuitæ, utriusque Summo Pontifici addictissimi: ac isti quidem, gravi aliunde, coram Apostolica Sede, de Divinis Auxiliis lite cum Dominicanis implicati; in qua nullum minus, si forte causa caderent, periculum suberat, quam ne erroris, atque audacie notarentur.* Quid itaque ab omni veri specie remotissimum dicas, Paulum V., meditati iudicii promulgationem in aliud tempus mittentem, ea in Socjos indulgentiam usum esse, gratia recentis obsequii: cum nec a veri specie alienum, immo certissimum sit, illos ea mente, eoque consilio id obsequii præstitisse, ut ea, veluti litatione, Paulum V., agitata tandiu litis arbitrium, propitiarent?

Neque obest, quod obiter notas, ex Cardinalis Perronii Epistola, Henrico IV. data, die 25. Julii 1607. aperte conitare, Paulum V., postquam Jesuitæ Venetiis excessere, perrexisse urgeere ea, quæ ad maturandam Controversiæ decisionem spectabant: quibus tamen, ut ais, non sufficit opus, si Jesuitas, Veneti exilii occasione, damnationis periculo subduxisset Cardinalis Perronius: non id, inquam, obest. Etsi enim Veneti exilii occasione, ea sopiendi negotii ratio inita sit; non illico tamen id consilii ceptum est, cum primum Jesuitæ Venetiis excessere, sed post-

quam, Pontificem inter, atque Rempublicam inita pace, comprobatum est, Venetiarum Senatuum Augustum nulla ratione adduci posse, ut ejectos Jesuitas postinlimo reciperet. Seu, ut distincte calculum ponam, id consilii ceptum est tantum, die 28. Augusti 1607. qua postremo de modo finiendæ controversiæ congressus est habitus. Quare nil mirum, si, ad hæc usque tempora, ea urgere pertererit Paulus V. quæ ad Controversiæ decisionem spectare putabantur. Addam, nihil etiam inde consequens fore, si post id temporis ea quoque urgere perrexisset: id quippe, ut summe, evinceret, non fuisse Jesuitas damnationis periculo subducos decretorio Pauli V. Rescripto, quo extremam de agitata lite sententiam dixerit; sed fiduciarium duntaxat, quo rem interim in suspensio posuit, indico utrique parti silentio, donec opportuna publicandi iudicii daretur occasio: quod nos millies declaravimus. De reliquo, non deesse in Romanorum Pontificum gestis pariter omnino in religiosos aliquos Ordines: convenientia exempla, sat bene ex Gobellino, Spondano, Oderico Raynaldo probatum est lib. 4. cap. 23. & tom. 2. Gallicæ Defensionis, cap. 14. ut futilem declarationem iure rideam, qua me parum honeste de Christi Vicario censere, debilateras, quod sancitum in Molinianos iudicium, a Paulo V. in suspensio positum, dixerim, recentis obsequii gratia; in Apostolicam Sedem a Societate collatum: ac ne quo tempore, in Apostolicæ Sedis obsequium, patriæ, ac fortunæ periculum adibant, intemptiva Pontificia definitionis promulgatione infamarentur. Certe, si parum Christi Vicario honorifica censenda est observatio illa mea, non est cur & Gobellinus, & Spondanus, & Odericus Raynaldus, de Christi Vicario parum honeste sensissent, dici non possint, dum de celebri circa Christi D. Sanguinem controversia, a Pio II. examinata, & collectis Cardinalium suffragiis iudicata adversus FF. Minorum opinionem, ita demum observant: *Sed non est asium, eo tempore fieri Decretum declarationis, ne multitudo Minorum, cuius erat contra Turcas predicatio necessaria, offenderetur. In aliud tempus decisionem differre placuit.* Sed & satis hoc ipso in loco, pro Historici munere, invidis momentis ostendi, Paulum V., oppignerata fide, spondidisse, se opportuno tempore promulgaturam declarationem, ac determinationem suam: ut ineptum modo sit ex me querere: Quorsum ergo in opportunum tempus dilata sententia, necdum tamen, aut a Paulo ipso, tamen annos plurimos supervixerit, ut ab eius Successorum aliquo, post annos amplius centum, lata fuerit, ac promulgata? Quasi vero Pontificium oppigneratæ fidei Rescriptum finxisse, aut supposuisse, censendus sim, nisi liberatam subinde promissi fidem ostenderim: aut forte minus aperta, disertaque sint ea Paulini Rescripti verba, quam; ut suam ad id fidem obligasse, censeret debeat: *Nel negotio de Auxiliis, nostro Signore ha fatto intendere ai disputanti, e Consultori, che possono tornare alle case loro. E ha detto, che a suo tempo la Santità Sua darà fuori la sua dichiarazione, e determinatione &c.*

Futilior longe est altera tua in Coronelli narrationem animadversio, qua is nonnihil de postremo Cardinalium Congressu, die 28. Augusti celebrato, memoriæ prodidit: Paulum scilicet diligenter exquisivisse singulorum sententias de modo finiendi molestissimam, & tandiu agitatam controversiam de Auxiliis Divinis; & an expediret, his maxime temporibus, ad Apostolicam definitionem devenire &c., Sed enim, exclamas, aberat, fatente

Historico, a congressu illo Coronellus, ejuste que idcirco decisionem in Acta sua referre non potuit: unde ergo rescire, & in Acta publica referre potuit, quid, quibusve verbis, a Pontifice propositum fuerit convocatis Cardinalibus, quos constat fuisse fecerit tenacissimos? Ecquæ, inquam, ratio Coronellum movere poterat, ut paucula illa de postremo Cardinalium congressu Actis infereret, si nulla ratione rescivisset; cum tam propositum postremæ deliberationis materiam, quam susceptum inibi consilium silentio mittere, integrum illi esset? Aut quid vetat, Coronellum absentem rescivisse, quod Lemosium, perinde absentem, rescivisse, certum est, cuius in Actis ita legitur col. 1361. Die 28. Augusti iterum Pontifex Summus, ut ultimam resolutionem sumeret, convocatis novem Cardinalibus ex Inquisitoribus, cum eis de modo terminandi negotium tractavit, &c. Uterque igitur propositam deliberationis materiam ex Cardinalibus rescire potuit, quorum fidei, ac taciturnitati commissa duntaxat erat, quæ ab iis deliberatio facta est; non quod ipsis propositum fuerat deliberationis argumentum: utpote quod, vel ipsis silentibus, unuquisque agitaret hæcenus controversiæ consilium, facile deprehenderet, nullaque, ut silentio tegetur, necessitas postularet. Quod idem ante annos aliquot in celebri de cultu Sinenfium controversia experiri contigit: quæ licet oculo, secretoque iudicio definita fuerit, indicta Eminentissimis Patribus, qui iudices interfuerant, silentii lege, quantum ad ipsam statutam, decretamque sententiam attingebat; nemo tamen propositam extremam deliberationis materiam non rescivit, finiendam scilicet extremo iudicio controversiam: de qua Clementem XI., soluto congressu, publice dixisse, ferat: *Causa finita est: unam & error finitur: dum interim latam sententiam silentio tegetur.*

Mitto, quas mihi, Paulini iudicii occasione, antilogias exprobras: tanquam latam a Paulo V. sententiam, quandoque dixerim, quandoque negarim. Totus quippe in ambiguo vocabulo, varii que sensibus obnoxio, lusus est, quo lectoris fucum facis. Namque & latam a Paulo V. sententiam quandoque dixi, hoc est, instructam, decretamque, uti subjectis statim verbis exposui: latam quandoque negavi, hoc est, denunciata, ac publicatam, uti integri periodus palam facit. Tu vero, quæ summa ingenuitas est, relictis adjunctis, pugnancia in speciem verba representas; ut jam magne sit opus, quo invicem fugientia reducantur.

Accedit alterum, quod in postrema Historiæ nostræ parte reprehendis: narrata scilicet cap. 25., multique probata Baftidæ palinodia, dum, solutis Romæ congressibus, patriæ redditus est. Verum quam lepide in hanc scenam ingrederis! Productis a me testibus, Petro de Tapia, Antifistri Seguntino, Joanni Martinez de Prado, Paulo Fasseau, Seraphino Piccinardo, Thomæ Soages, eo maxime nomine fidem derogas, quod Thomistæ fuerint, ac non nisi, post extinctum Ferdinandum de Baftida, historiam hanc litteris dederint: cum tu interim, non nisi Molinianos, opponas, illosque Petro de Tapia, ac Joanni de Prado, etate inferiores; ac ne publicis quidem scriptis oppositum contestantes, sed privatis duntaxat epistolis, & insufurratis ad aures vocibus, quarum tota penes unum, quem exscribis, Gabrielem Henao fides est: Quodque festivum magis, ac lepdatum, hoc uno in ea Baftidæ palinodia refellenda auctore niteris, qui, ne suis quidem in oppositum productis testibus facis fidens,

factum tandem subdubitanter agnoscat, & Baftida, in propugnanda tandem gratia prædeterminante, dissimulationem, & calliditatem incusat: For-te, inquit Gabriel Henao, in petitione Canonici, carus, vel gradus literarii susceptione, in Dominicanico S. Thomæ Collegio, aut Universitate, aliquam sui ostentationem fecit, celata calide propria mente, ut demeretur Patrum Prædicatorum gratiam, neve gradus literarii mercedem exacte redderet; si ad unam, aut alteram petitionem aspiravit. Quod hic porro subdubitando insinuat, citra dubium ponit Franciscus Oviedo, non Dominicanus ille, sed Societatis Professor, etsi parem cum Gabriele Henao exceptionem obrudat; cuius futilitatem, & ineptiam laudato Historiæ capite demonstravimus.

At nullam, inquis, fidem meretur Joannes de Prado, præcipuus Baftidæ palinodia testis; quippe qui eodem illo Controversiarum Metaphysicarum loco, Michaellem Marcos, alterum Societatis Professorem, inter physica prædeterminationis assertores perinde recenset: quem nihil huiusmodi sensisse, aut docuisse, liquet ex eisdem testificatione, scripto consignata die 23. Octobris 1599. cuius autographum in Romano Societatis tabulario etiamnum extat. Miror ad refellendum Joannem de Prado, anno duntaxat 1649. Metaphysicas Controversias publicentem, contrariam Michaelis Marcos testificationem produci, anno, ut fertur, 1599. scripto consignatam, & in Romano Societatis tabulario religiose servatam, quæ is ex adverso contestatur, se censere, & censuisse, docere, ac docuisse semper, efficaciam Auxilii gratiæ præventivæ nullatenus in prædeterminatione physica posse consistere. Aut enim Michaellem Marcos prophetam fuisse, necesse est, qui, quod de se post annos quinquaginta scripturus esset Joannes de Prado, certo perviderit, contrariamque idcirco testificationem scripto reliquerit, qua falsi convinci posset: aut certe jam tunc, dum in vivis aegeret, in gravem propugnata Thomistica sententiæ suspitionem venerat, quam, missa ad Societatis Præpositos contraria testificatione, purgare coactus sit. Quæ res satis evincit, Joannem de Prado, cui servata in Societatis scriniis, seu vera, seu falsa, Michaelis testificatio ignota erat; haud ita temere hanc illi sententiam tribuisse: ac propterea pessimæ fidei testem, in aliis etiam factis recensendis, haberi non posse. Et sane Michael Marcos diu ante annum 1649. quo suas Joannes de Prado Controversias Metaphysicas evulgavit, laudatus legitur, (1) tanquam qui Thomistica sententiæ subscripserit 1. part. quæst. 23. art. 7. & 3. part. quæst. 86. art. 1. quanquam an vere, an falso, perpendere nequeam, qui illius Opera nec legerim, nec invenerim.

Quo te vero abripit repugnandi libido, qui, ut Historico, Baftidæ palinodiam objicienti, paria referas, Thomæ de Lemos palinodiam objectas; ineptumque de illo commentum, a Caramuele somniatum, quasi minus refutatum a nobis fuerit, de integro recinis? Multum, inquis, laborat Historicus, ut falsa de Lemoso scripserit Illustrissimum Caramuelem, persuadeat. Scilicet multum laborandum fuit, ut putidis anachronismis, atque absurdis infarta fabella refelleretur! Quid enim? Thomistarum erit ostendere, aiebat ille, non Pater Lemos, olim Romæ physicas prædeterminationes esse contra D. Thomam, docuerit. Et hoc porro signum esse omnium ineptissimum, facile ostendit. Aut enim Lemosius adversus physicas prædeterminationes docuisse fingitur Romæ, antequam Congregationes haberentur, uti Caramue-

(1) Questions importantes &c. (2) Mezeray ad an. 1605.

(1) In quæst. Theol. hist. Thesi 26.

muels dictum interpretatur Leodiensis Epistolæ confarinator; aut solutis duntaxat Auxiliorum Congregationibus. Primum impossibile est, cum, ante habitos de Auxiliis congressus, nunquam Romæ fuerit; sed illuc primum a Præpositis missus sit anno 1600, postquam physicas prædeterminationes, in generalibus Ordinibus comitis, hoc ipso anno Neapoli celebratis, publicis Theatris defendit: alterum æque falsi convincitur; tum quod, solutis statim Romæ congressibus, scholis publicis vale dixerit Thomas de Lemos, generalis Inquisitionis Confessor a Paulo V. institutus: tum quod ingens illud de Divinis Auxiliis Opus ediderit, atque sub vitæ finem recognoverit, cujus vix una occurrit pagina, que physicas prædeterminationem non spiret. Nugacis autem cavillatoris est, contra reponere, potuisse Operi posthumo Lemofii peregrina nonnulla ab Editoribus inferi, maxime cum nullum extet propria Auctoris manu exaratum Autographum, sed amanuensis duntaxat exemplum, quo is oculorum tenili caligine laborans utebatur. Si enim a pristina sententia desiliisset Lemofius, non modo aliqua duntaxat Operi posthumo inferata essent, sed & integrum profus opus suppositum fuisset: cum non aliquibus duntaxat locis ea physica prædeterminationis sententia inferata sit; se in id dogma statuendum tota ferme tendat elucidatio. Ac licet amanuensis duntaxat, quo is utebatur, exemplum extet Romæ; multa tamen propria Auctoris manu passim ad marginem inferata sunt, que fidem exemplo integram faciunt, perinde ac si totum Auctoris autographum esset.

Sequitur, in quo obtestandi libidinem exeres, Pauli V. Decretum, anno 1611. publicatum; quo districtè vetitum erat, ne deinceps, citra Sedis Apostolicæ veniam, de Divinis Auxiliis scriptio- nes vulgarentur. Hoc tu pro ingenita libertate, infatigantibus Prædicatoribus, editum dicis, postquam ipsi duodecim Alvarez libros de Divinis Auxiliis publicasset; ne contrariis Moliniano- rum scriptio- nibus resellerentur. Vah linguam futilem, audaxque supercilium! Ita ne, teste nullo, auctore nullo, rem ab omni veri specie remotissimam, atque Apostolicæ Sedi cum primis indecoram, effutis? Quasi vero Paulum V. ita sibi devinctum, obstrictumque Prædicatores habuerint, ut suis illum coitionibus, ac studiis illigerent, decretaque pro nutu, atque arbitrio ab illo extorquerent, quibus æmulos exararent. Sed age, Paulum V. & dolis, & artibus, in partes traxerint Dominicanæ, ut Molinianis ora præcluderent: ita ne quoque Urbanum VIII. Innocentium X. ac XII. iisdem fallacis implicuerint, ut hanc ipsam legem iterato fancirent, gravioreque violatoribus penas minarentur? Quid, quod Pauli V. Decretum, statim atque vulgatum est, rescindi, ac relaxari, postularunt Prædicatores, porrecto libello, nedum ut ferretur, insisterant? Reponis, prece quidem, atque obtestatione contendisse illos, ut relaxaretur; sed sibi ipsis. Et id certe: nec enim adversæ partis procuracionem obstant, ut & pro Jesuitis supplices ad Paulum V. accederent. At vel hac ipsa, per eos facta, supplicatione satis evincitur, illos edendi Decreti auctores minime fuisse, quo ipsimet inviti obstrangebantur; immo & cujus incommoda, porrecto libello, diserte proferebantur.

Exinde ad peregrina divertis: utque Sodales tuos, pacis anno 1612. in Hispania sancita, violatores, qui contra pactorum fidem, defensas publice thesibus, Scholæ Thomisticæ dogmata invidiosis notis inuferant, culpa liberes, ad soli-

ta suffugia dilaberis, acerbiore in Societatis doctrinam a Prædicatoribus jactata contendens, dum humiles post mensem alterum supplicationes Paulo V. detulerunt. Verum quorsum hæc, rogo te? Cum id unum disputetur hoc loco, qui primi pacta conventa violarent: ex quibus unum istud erat, ne receptæ interim sententiæ invidiosis notis, atque censuris, inter disputandum, atque docendum afficerentur: non qui, soluta subinde pace, violatisque conditionibus, suas ad Sedem Apostolicam querelas, cum aliquo doloris sensu detulerint; damnaque, ex diuturniori Molinianæ doctrinæ tolerantia in Ecclesiam emergentia, dato libello significarint.

Nihilò feliciter altero te nodo extricas, dum de oblatiis toties ab universo Prædicatorum Ordine libellis, ac precibus sermo venit, quois pro obtinenda sancti Iudicii promulgatione, Romanis Pontificibus supplicarunt. Et nos quidem publicis illis documentis evicimus, magna illos causæ fiducia, & adjudicatæ sibi litis securitate duci: ex contrario, Molinianos secreta conscientia censura morderi, qui non modo nihil ejusmodi tentarunt unquam, sed & scripta vulgarunt, ut ab omni Apostolica definitione superferendum, ostenderent. Quid tu porro, ut nodum exfolvas? Tria, ut summe, captas effugia. 1. Petite a Prædicatoribus definitionis causam pro arbitrio comministeris: quod multi, etiam sapientissimi, quo ex tempore lis illa magna in suspensio posita fuerat, a publica doctrinæ Thomisticæ professione averfi essent. 2. Sodales Jesuiticos a postulanda Pontificia definitione temperasse, vis, quod inutilem futuram hujusmodi supplicationem, certo scirent; cum si certum aliquid in hac materia definire Pontifex voluisset, id tunc fecisset, quando, partium auditis disputationibus, atque expensis utrinque momentis, diu, multumque de hac re delibaturum fuit. 3. Commentitium esse, ais, quod affirmat Historicis; Socios scripta vulgasse, ut evincerent, ab omni profus definitione Apostolica superferendum. Sed & hæc pridem a nobis præclusi sunt, ne & illac elabi possis. Est enim quæ a te causa fingitur, petita a Prædicatoribus definitionis, vera esse, concederetur; (quæ tamen quam falsa sit, ex oblatiis tunc libellis supplicibus liquet) stare nihilofecius, quod inde desumptum est, argumentum: magna scilicet illos causæ fiducia, & adjudicatæ sibi litis securitate duci, qui sancti Iudicii promulgationem tanto animi ardore proferebantur. Ecquid vero inutilem futuram hujusmodi supplicationem, certo noverant Moliniani, futilli illa, quæ a te obtenditur, ratione? Cum, auditis partium disputationibus, libratique momentis, dato Rescripto, Pontifex denunciasset, se opportuno tempore promulgaturum declarationem, ac determinationem suam. Aut quid, si certo inutilem noverant, se quoque una cum Prædicatoribus supplicaturos, paulo ante sponderant, dum inita, sequestro Duce Lermæo, pacta subscriberent? De reliquo non esse commentitia, quæ diximus, Sociorum scripta, quæ omni studio obtinebantur, ne, Prædicatorum rogatu, decisio prodiret in publicum, illud invicte demonstrat; quod contrariis Lemofii scriptio- nibus, Paulo V. die 12. Julii in manus datis, confutentur, ac resellantur, eorundem rationibus, ac momentis particulatim recensitis, atque dilutis. (1)

Jam ad postremum, dignumque totius operis Colophonem accedo, ubi de celebri Claudii Aquavivæ Decreto, anno 1613. per universam Societatem publicato, quætionem movens, omni vocis, ac laterum contentione exclamas, nec lectam un-

quam, nec visam ab Historico Molinæ Concordiam; qui scribere ausus sit, illius de gratia efficacitatem eo Decreto proscriptam. Hæc una certe supererat ad fabulam scena omnium jucundissima. Audi igitur, & an Molinæ Concordiam Historicus legerit, experire. Ita Decreto maadat, ac statuit Præpositus Generalis: *Nobis in posterum omnino doceant, inter eam gratiam, quæ effectum re ipsa habet, atque efficax dicitur, & eam, quam sufficientem nominant, non tantum discrimen esse in actu secundo, quia ex usu liberi arbitrii, etiam cooperantem gratiam habentis, effectum sortitur; altera autem non item; sed in ipso actu primo, quod posita scientia conditionalium, ex efficaci Dei proposito, atque intentione efficiendi certissime in nobis boni, de industria ipse ea media selegit, atque eo modo, & tempore confert, quo videt, effectum infallibiliter habitura; alius usus, si hæc inefficacia providisset.* Atqui Molina inter gratiam efficacem, & inefficacem, seu mere sufficientem, discrimen duntaxat ponit in actu secundo, seu, ut clarius loquitur, ratione effectus consecuti; quia ex usu liberi arbitrii, gratiam cooperantem habentis, effectum sortitur efficax, non item inefficax. Ait enim in Concordia quæst. 14. art. 13. disp. 40. alias 38. *Quo fit, ut diviso sufficientis auxilii in efficacem, & inefficacem, nostra sententia, ab effectu, qui simul ab arbitrii libertate pendet, sumatur; illudque auxilium sufficientem, sive minus in se sit, efficacem dicatur, cum quo arbitrium pro sua libertate convertitur; cum tamen, nihil illo auxilio impediendo, poterit non converti: illud vero inefficax dicatur, cum quo arbitrium, pro eadem sua libertate, non convertitur; cum tamen poterit converti; Alioquin tale auxilium sufficientem non esset ad conversionem. Hinc quinto loco auxilium, quæ legi prævenientis, atque adjuvantis gratia, quæ legi ordinaria viatoribus conferuntur, quod efficacem, aut inefficacem ad conversionem, seu justificationem sint, pendere a libero consensu, & cooperatione arbitrii nobis cum illis: Atque adeo in libera potestate vo-*

stra esse, vel illa efficacia reddere, consentiendo, & cooperando cum illis ad actus, quibus ad justificationem disponimur; vel inefficacia illa reddere, continendo consensum, & cooperationem nostram, aut etiam eliciendo contrarium dissentium. Quibus non abfinitia leguntur 1. part. quæst. 23. disput. 1. mem. 10. Quidni ergo Molinæ sententiam Aquaviviano decreto proscriptam dixerim. Neque vero id mirum; cum Bellarminus, quo suo more, & impulsore editum est, hoc ipsam Molinæ systema acri censura perstrinxerit lib. 1. De gratia, & lib. arb. c. 12. Prima opinio eorum est, qui gratiam efficacem constituant in assensu, & cooperatione humana, ita ut ab eventu dicatur gratia efficax, quia videlicet sortitur effectum; & ideo sortitur effectum, quia voluntas humana cooperatur. Itaque existimant hi Auctores, in potestate hominis esse, ut gratiam faciat esse efficacem, quia aliqui non esset, nisi sufficiens. Hæc opinio aliena est omnino a sententia S. Augustini; & quantum ego existimo, a sententia etiam Scripurarum Divinarum.

Cæterum, tamen Suárezii systema, Moliniano rejecto, retentum dixerim, celebri illo Præpositi Generalis edicto: non ideo tamen illud a Moliniano, re ipsa, & quoad dogmatis substantiam, distinctum volui; sed sola expositione diversum, seu ut lib. 4. c. 31. significari, verborum duntaxat honestate tolerabilius. Quod ab ipso Suárezio non illibenter adnotatum est, lib. 3. Opusculorum, cap. 6. num. 8. *Quidam dicunt, auxilium solum dici efficacem ab effectu, quia de facto homo cum illo convertitur, vel consentit: unde negant, esse ex se efficacem, sed accedente tantum consensu libero voluntatis, a quo proinde omnino pendet, ut auxilium sufficientem fiat efficacem, id est, habeat effectum. . . . Verumtamen hæc etiam sententia, hoc tantum modo declarata, & nihil ei addendo, nobis non probatur; non quia falsa, sed quia diminuta, & quia non satis declarat mentem S. Augustini.* Atque hic Vindicationum nostrarum finis esto.

CERNIS JAM, UT ARBITROR, QUAM INANITER DIXERIS, QUOD VIDEARIS TIBI AD OMNIA RESPONDISSE, QUÆ IN MEA (Historia) CONTINENTUR. SI ENIM PROPTEREA RESPONDISTI, QUIA TACERE NOLUISTI; NON QUIDEM AD OMNIA, SED TAMEN RESPONDISTI. SI AUTEM AD HOC RESPONDISTI, UT EA, QUÆ A ME DICTA SUNT, EVACUARES; VIDEO, TE QUIDEM AD MULTA RESPONDISSE, SED NIHIL TE VIDEO REFELLISSE. S. August. Lib. 4. contra Cresconium Grammaticum, Cap. 65.

FINIS LIBRI QUINTI, SUPERIORUM APOLOGETICI.